



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**De Statv Religionis Christianae, Per Evropam, Asiam,
Africanam, Et Orbem Nouum, Libri IV.**

Le Mire, Aubert

Coloniae Agrippinae, 1619

Cap. XXXVII. De Municipijs, Praefecturis, & socijs Heluetiorum.

urn:nbn:de:hbz:466:1-11108

nendos ac firmandos plurimum fanè contulit *Petrus Canisius*, Nouiomagi in Geldria apud Belgas natus, ex Soc. Iesu, vir longè doctissimus ac sanctissimus: qui & Friburgi Heluetiorum anno 1597. moriens, ibidem honorificè est conditus. Habent autem Patres Soc. Iesu duo illustria apud Heluetios Collegia, nimirum *Lucernense*, & *Friburgense*.

Ad reliquas Heluetiorum Ciuitates quod attinet, sūt eę, prò dolor, Lutheri, Zvvinglij, Caluini, aliorumque Hæresiarcharum scēdis erroribus infectæ: sic tamen vt Soloduri, Claronæ, & alibi viuant Catholici quàm plurimi, hæreticis mixti. Primi an. 1526. corrupti fuere Tigurini, ab Vlrico Zvvinglio, Sacramentario.

CAPVT XXXVII.

DE MVNICIPIIS, PRAEFECTVRIS, & SOCIJS Heluetiorum.

PRæter XIII. Ciuitates, quas dixi, multa apud Heluetios sunt opida suo iure ac legibus vtentia, quæ antiquo & Romano vocabulo *Municipia Heluetiorum* nuncupat *Franciscus Guillimannus*, rerum Helueticarum scriptor accuratus. Talia sunt *Aqua Heluetia*, vulgò *Bada*, *Bremgartia*, *Mellinga*, *Rupertinilla*, *Damasia*, *Vitodurum*, *Tobinium*,
G
Araunia,

Municipia Heluetiorum.

Aravia, Surbsea, Villifonium, Pöres, Sempachiū, Satunegaunum, Statio Rhetorum, Paterniacū, Lausana, & alia opida nonnulla.

*Lausanē
fis Episco
pus.*

Lausana Episcopum habet, Vesontionen-
si Archiepiscopo suffraganeum, qui sedem
nunc habet Friburgi Heluetiorum, Lausanā
à Nouatoribus anno 1536. occupatā.

*Præfe-
cturæ
Helue-
tiorum.*

Post Municipia sequuntur Præfecturæ,
quæ Ciuitatum seu Cantonum cōmuni im-
perio administrantur. Sunt illę omninò de-
cem, ex quibus aliæ Transalpinæ, in Italia;
aliæ Cisalpinæ, intra Heluetiæ limites sitæ.

*Socij Hel-
uetiorū.*

Ad Socios Heluetiorum quod spectat,
sunt ij præcipuè, *Abbas & opidum S. Galli, Rhe-
ti, Valesiani & Rottuillani.* Hi eadem ferè cō-
ditione sunt apud Heluetios, qua olim Socij
apud Romanos: hoc est, non solum auxilia,
militem, arma, commeatum, ductum, sum-
ptum tempore belli promittunt, sed omnia
munimenta, arces, opida, velut in Heluetio-
rum potestate & vsu, semperque aperta re-
linquunt. Socijs sanè defendendis, totū pro-
pè terrarum orbem in Romanorum pote-
statem venisse, testatur Cicero.

*S. Galli
opidum.*

S. Galli opidum ex monasterio natū est,
vt Luxouium apud Burgundos, Bobium a-
pud Insubres, Trudonopolis apud Leodien-
ses, Audomaropolis & Gislenopolis apud
Belgas, & plura alia opida per Germaniam
ac Galliam.

Mona-

Monasterium S. Galli condidit B. Gallus, natione Hibernus, S. Columbani discipulus, qui anno 643. moriens, in cœnobio à se excitato est conditus. Ad eas verò opes deniq; monasterium S. Galli, & ad eam amplitudinem peruenit, vt Principem facilè locum in Germania obtineat. Fuit autè primitus inhabitatum à Clericis, quibus Benedictinam regulam an. 741. præscripsit Othmarus Abbas, petente Pipino, Caroli Matelli filio: vt Valafridus Strabo tradit in vita S. Galli. Opido ex monasterij frequentia nato (cui proinde subiectum) magna est per Europam celebritas, ob lanificia.

Rhæti (quos Itali *Grifones*, Germani *Grifones*, *Gravven* nuncupant) in tria fœdera sunt diuisi. Primum fœdus XIX. Communitates cõplectitur, quas inter prima est *Disertina Abbatia*, cum vico adiuncto, quem condidit S. Sigebertus, S. Columbani discipulus, opibus Placidi viri nobilis.

Ad secundum fœdus, quod *Domus Dei Curiensis* dicitur, XX. Communitates pertinent, quarum prima & caput est *Curia*, Ptolemæo Ebodurum, vrbs Episcopalis, Moguntino Archiepis. suffraganea, Italis *Coira*, Germanis *Chur* nuncupata. Nomen inditum, quòd Imperatores, si quando in Rhætiam venirent, eò loci curiam celebrabant: vnde ab Antonino dicitur *Curia Rhætorum*.

Terrij fœderis sunt X. Communitates, quas Iudicia nominant seu Iurisdictiones.

Valesiani.

Valesiani in VII. Communitates sunt diuisi, quarum prima est *Sedunum*, vrbs Episcopalis, Tarentasiensi Archiepiscop. suffraganea. Prouinciam totam regit Episcopus, cum Concilio ex popularibus conflato, cuius hic est titulus, *N. Episcopus Sedunensis, Comes, & Præfectus Valesiæ*. Episcopum eligunt Canonici, & VII. Communitatum Legati: suntque Valesiani Catholicæ religionis studiosissimi.

Sedunensis Episcopus.

Octodurus.

Sedunenses seu Valesiani superiores, ab anno Christi 1475. imperât Veragris seu Valesianis inferioribus, in VI. Communitates seu Præfecturas distributis: quas inter quarta est *Octodurus*, olim vrbs Episcopalis Veragrorum. I. *Cæsar vicum Veragrorum* nominat. Vrbs vi aquarum perijt, & locus hodie *Martenach* dicitur, ab arce olim opido imminente.

Agaunum, hodie S. Maurij.

Sexta porrò inter Valesiæ inferioris Communitates est Tarnada, olim Agaunū, quod hodie *S. Maurij* nuncupatur: vbi Sigismundus Burgundiæ Rex insigne monasterium construxit in honorem SS. Martyrum Thebæorum. Octoduri namq; (quod XII. passuum millibus Agauno distat) etsi Thebæ legionis cædes primùm sit imperata, maior tamen pars Agauni est trucidata.

Rotu-

Rotuilla vrbs est Imperialis ad Nicrum ^{Rotuilla.}
 fluuium, magnæ per Germaniam auctorita-
 tis, propter curiam in ea Imperij constitu-
 tam, per Conradum III. Imperatorem.

Numerantur etiam inter Socios, *Bienna*
 & *Mulhusum*. De his fufiùs Franciscus Guil-
 limannus in libris de Rebus Heluetiorum.

CAPVT XXXVIII.

DE VRBE GENEVENSI.

Geneua ad lacum Lemanum fita, in dua-
 bus Rhodani ripis, ligneo ponte con-
 iungitur, cui, per interiectam insulam
 firmiori, ædes vtrinq; impositæ. In maiore
 vrbs parte ad meridiem, templum est ca-
 thedrale S. Petro Apostolo sacrum: in mino-
 re, ad Septemtrionem, visitur Basilica S.
 Geruasij: à quo & illa vrbs pars habet de-
 nominationem.

De vrbs dominio variæ olim, inter E-
 piscopos & Sabaudia Principes, fuere con-
 trouersia: de quibus alij scripsere. Iustum o-
 mnem dominatum circa an. 1535. excussit, &
 cum Bernensibus an. 1536. pactû iniit, postea
 aliquoties renouatum. Est hodie sentina &
 arx quædam Calvinismi, ex qua impij Cal-
 uiniana sectæ Ministri, magno numero,
 quotidie prodeunt.